





*A. C. Dorn - ein Sohn der Vater*

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**JURE HYPOTHECA<sup>E</sup>  
TACITAE** *1762, 11. 17.*  
SECUNDUM STATUTA HAMBURGENSIA,  
QVAM  
ASSISTENTE NUMINIS DIVINI GRATIA,  
EX DECRETO  
ILLUSTRIS JURE CONSULTORUM ORDINIS  
IN  
ACADEMIA CHRISTIAN · ALBERTINA,  
P R A E S I D E  
**AMANDO CHRISTIANO DORN, D.**  
ACADEMIÆ PRO-CANCELLARIO,  
CÆSAREÆ MAJESTATIS, AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI  
IMPERATORIS ET AUTOCRATORIS TOTIUS RUSSIÆ IN CAN-  
CELLARIA DUCALI SLESVICO - HOLSATICA CONSILIARIO STATUS,  
JURIS PUBLICI ET FEUDALIS PROFESSORE ORDINARIO ATQUE  
FACULTATIS JURIDICÆ PRIMARIO,  
PRO SUMMIS  
IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC JURIBUS  
**DOCTORALIBUS**  
RITE OBTINENDIS  
DISCEPTIONI PUBLICÆ  
DIE III. APRIL. ANNO MDCCCLXII.  
PROPOSIT  
**JOANNES ERICUS DÜHMCKE,**  
REVER. CAPIT. HAMBURGENSIS CANONICUS.  
—  
KILONII, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.





DISSERTATIO JVRIDICA INAVGVRALIS  
DE  
JVRE HYPOTHECÆ TACITÆ  
SECUNDVM STATVTA HAMBVRGENSIA.

§. I.



\*{N}\* omne hypothecæ tacitæ, cuius  
\*{\* \* \*} æquitatem alii laudant, (a) cre-  
\*{\* \* \*} pant alii, (b) venire jus illud  
reale, quod creditori in re debi-  
toris in securitatem crediti lege ipsa, vel com-  
muni, vel provinciali, vel etiam consuetudi-  
ne, quæ vim legis habet, constitutum est,  
inter omnes constat. Non moror vetusta-  
tem & antiquissimas ejus origines, quas JCTi  
jam in Juris Attici reliquiis se invenisse exi-  
-  
stimant.

A 2

stimant.

stimant. Sunt certe, qui nec locatoribus in bonis conductorum, quia & illi, qui orphanorum ædes conducebant, expressam hypothecam constituere solebant, claro indicio, ne pupillis quidem in bonis conductorum tacitæ hypothecæ jus lege datum esse: (c) nec fisco in bonis Administratorum, cum PETITUS moneat quidem, magistratibus, rationibus reddendis obnoxiis, alienandi potestatem negatam fuisse, rempublicam autem in bonis eorum pignus tacitum habuisse, nec ipse tradat, nec verba legis, ad quam provocat, evincant: neque uxori in bonis mariti hypothecam tacitam competuisse, statuunt, utpote qui expressas hypothecas, accepta dote, constituere solebant. (d) Solos pupillos excipiunt, quos in patrimonio tutorum sine conventione, ex lege, pignoris jus habuisse contendunt. MARCILIUS sanc, & qui eum sequitur, RITTERSHUSIUS, PETITUS, BALDVINUS atque HOFFMANNUS in ea sunt opinione, (e) a qua tamen alii iterum recedunt, DEMOSTHENEM, ad cuius

5

cujus testimonium reliqui provocant, in  
Orat. i. advers. Onetorem non dicere, bona  
tutorum pupillis tacite obligata esse, sed hoc  
saltem eum referre, ONETOREM dotem pro-  
missam APHOBO numerare noluisse, quasi ex-  
stimaret, bona tutoris APHOBI pupillis ipsius  
esse oppignorata, id quod etiam de hypo-  
theca expressa intelligi posset, existimantes. (f)  
Sufficit in legibus hodiernis & Romanis &  
Germanicis & speciatim etiam Hamburgen-  
sibus hypothecas tacitas esse fundatas. In  
eo quamvis iterum in diversas JCTi abeant  
partes, utrum jam Regum Romanorum vel  
etiam XII Tabularum leges quicquam de iis  
disposuerint? an vero Prætores & Imperato-  
res earum fuerint autores & inventores? Ex  
Serviana actione, quæ originem suam SERVIO,  
Prætori & JCto, debet, primam ortam esse  
tacitam hypothecam apud Romanos, & ex  
hac hydra tot postea capita renata fuisse,  
acute fatis describit EVERARDVS OTTO.  
*Ante Servium, inquit, creditor pignori iu-  
cunbere debebat, & rem custodire contracta*

A 3

fidu-

fiducia sibi mancipatum, sed quia id valde molestum erat, utilitas pignoris & JCti faverunt, ut Praetor urbanus duo nova edictio suo proponeret, nimirum ut ex nudo pacto pignoris adversus debitorem, & adversus tertium pignoris possessorem agi posset. Data haec fuit actio tantum propter res coloni expresso pignore obligatas, sed JCti Quasi Servianam ad ejus exemplum formatam, ad fructus tacite obligatos extenderunt, & tandem ad omne pignus, sive id lege, sive facto hominum expresse vel tacite sit obligatum. (g) Ut tamen, non omnes hypothecas tacitas uno eodemque tempore originem suam sumisset, sed Imperatores sensim sensimque earum catalogum adauxisse, exploratum sit. (h)

(a) REINHOLD GOTTLÖB LISCHKE de æquitat. hypothec. tacit. apud Roman.

(b) MICHAEL HENRIC. GRIBNER de hypothec. tacit. iniquitate.

(c) PETITVS in Comment. ad leges Attic. L. 6. tit. 7. pag. 491. HERALDI Observ. ad Jus Attic. & Rom. L. 3. c. 6. §. 10. XI. SALMASIUS de mod. usur. c. 12. pag. 509. MAUSACCUS ad Harpocr. pag. 61.

(d) PE-

- (d) PETITUS l.c.L.6.c.2. pag.458. POLLUC. Onomast.  
L.3. c.3. segm. 36. pag. 238. & L. 8.c. 12. segm. 142. pag.  
966. SALMAS. l.c. pag. 509. HERALD. l.c. §. 12.
- (e) MARCILIUS LL.XII. tabul. Interpret. c. 32. pag. 144.  
RITTERSHUSIUS in Comm. ad LL.XII. tabul. Clas. 3.  
P. I. c. 17. pag. 120. PETITUS l.cit. pag. 491. BALDWIN  
NUS de pignor. & hypoth. c. 7. pag. 30. HOFFMANNI  
Histor. jur. Vol. 2. pag. 246.
- (f) GRIEBNER in Programm. inaug. de anno 1732. pag. 4.
- (g) EVERARD. OTTO in Comment. ad Inst. pag. 526.
- (h) TRAUGOTT THOMASIUS de origin. atque pro-  
gressu hypothec. tacit. §. 9. seqq.

## §. II.

Legalem vero an dicere quis malit hanc  
hypothecæ speciem, mihi perinde est. Ego  
quidem taciti appellatione usus sum, quia &  
cum legibus loquor, uti rubrum tituli Pan-  
deictarum, *in quibus causis pignus vel hypo-*  
*theca TACITE contrahitur*, ubi hypothecæ  
ipsa lege, qua tacite, constitutæ recententur, do-  
cet, & etiam ita communiter fieri solet, cum ta-  
men, ne facile a communi loquendi usu receda-  
tur, leges interpretationis velint. Minime autem  
mihi capropter ea meus est atque opinio, quod,  
quoniam

quoniam alias taciti nomine venit omne illud,  
quod ex factis elicitor, quibus quis consensum  
suum in aliquod placitum impertitus fuit, (i)  
hypothecæ etiam tacitæ factæ debitoris requi-  
rant, quæ voluntatem ipsius indicant, bona  
sua, vel quædam, vel omnia, creditori suo  
debere esse obligata. Quin potius non alias  
agnoscam hypothecas tacitas, quam, quæ  
sola lege nituntur, absque conventione præ-  
via vel expressa vel tacita; adeo ut nec illo-  
rum JCTorum sententiae accedere possim, qui  
quasdam quidem hypothecas tacitas median-  
te lege, alias autem mediante tacita conven-  
tione constitui perhibent. Adfimat quidem  
& ULPIANUS, in prædiis urbanis TACITE  
solere conventum accipi, ut perinde tenean-  
tur in vecta & inlata, ac si specialiter con-  
venisset: (k) & PAULUS, in urbanis habi-  
tationibus locandis in vecta illata pignori esse  
locatori, etiam si nihil nominatim convenerit,  
quia conventiones etiam TACITE valent. (l)  
Quibuscum conspirat POMPONIUS quoad  
prædia rustica, nimirum, ut fructus, qui ibi  
nascun-

nascuntur, TACITE intelligentur pignori  
 esse domino fundi locati, etiam si nominatim  
 id non convenerit. (m) Sed salva res est.  
 Quem enim fugit, ad constituendum tacitum  
 consensum factis opus esse, ex quibus alii vo-  
 luntatem nostram SECURE inferre possunt  
 ob nexus necessarium, qui factis ejusmodi  
 cum voluntate agentis intercedit; (n) sive,  
 quod idem, facta illa ita debere esse compa-  
 rata, ut non facile aliam admittant interpre-  
 tationem. Quænam vero, si expressam con-  
 ventionem removeas, conductoris praedii  
 vel urbani vel rustici sunt illa facta, quibus  
 ille inventa & illata, hic autem fructus, qui  
 ibi nascuntur, locatori pignoris loco esse de-  
 bere promisit, ita ut non aliam, quam hanc,  
 capiant interpretationem. Certe, si factum  
 illationis bonorum in fundum conductum,  
 pro tacito in hypothecam consensu venditare  
 velis, etiam in conductoribus praediorum ru-  
 sticorum idem juris esse debet, quod tamen  
 negat NERATIUS. (o) Neque captandum  
 est vocabulum, tacitum, quo leges utuntur.

B

Non

Non enim apud JCtos solum moris est, id,  
quod ex consensu a lege ficto deducitur, sae-  
pius nomine consensus taciti insignire, sed  
etiam ipsæ illæ leges, in quibus dissentientes  
se fundant, illud aperte loquuntur, scilicet,  
non verum consensum tacitum, sed fictum  
aliquem talem constituere hypothecam tac-  
tam. Sic enim NERATIVS, NB. *QVASI*  
*id tacite convenerit, ut, quæ in prædia ur-*  
*banæ inducta & illata sunt, pignori esse cre-*  
*dantur;* (p) Sic ULPIANUS *quod tacite*  
*hoc soleat conventum* NB. *ACCIPI;* (q) Sic  
POMPONIUS *in prædiis rusticis fructus*  
*tacite pignori esse domino fundi locati* NB.  
INTELLIGI, (r) saltem dicunt. Quæ verba,  
quasi, accipi, intelligi, indicant, non de  
vero consensu tacito, sed de ficto, quem  
etiam præsumptum vocamus, leges illas esse ac-  
cipiendas. Ex quibus hinc consequitur,  
etiam tunc, ubi in contractibus hypothecæ  
aut pignoris expressa mentio non est facta,  
sed saltem verba sunt adhibita, ex quibus ap-  
paret, consensisse debitorem, ut res suæ cre-  
ditorem

ditorem securiorem faciant, hypothecam adesse expressam, eamque nostro hoc sensu nominari tacitam non posse, cum verba ejusmodi, quæ securitatem creditori in NB. bonis debitoris tribuunt, sufficere, nec expressam pignoris vel hypothecæ mentionem ad hypothecæ constitutionem requiri, Imperator JUSTINIANUS sanciverit. (s) *Si quis, inquit, in cuiuscunque contractus instrumento ea verba posuerit, fide, & periculo rerum ad me pertinentium, vel per earum exactiōnem satisfieri tibi promitto: sufficient ea verba ad rerum tam earum, quas in præsenti debitor habet, quam futurarum hypothecam, - - - cum sit justum voluntates contrahentium magis, quam verborum conceptionem inspicere.* (t)

- (i) GER. NOODT ad Edict. Prætor. de paſt. c. I.
- (k) l. 6. ff. in quib. cauf. pign. vel hypoth. tacit. contrah.
- (l) l. 4. pr. ff. de paſt.
- (m) l. 7. ff. in quib. cauf. pign. vel hypoth. tacit. contrah.
- (n) HENR. KOELERI Jus Natur. §. 1347.
- (o) l. 4. pr. ff. in quib. cauf. pign. vel hypoth. tacit. contrah.
- (p) l. cit. 4. pr.
- (q) l.

- (q) 1. 6. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrah.  
 (r) 1. 7. pr. ff. cit. tit.  
 (s) 1. ult. C. quæ res pignor. oblig. possunt  
 (t) Add. ULRIC. HUBERUS in Prælect. ad Pand. tit. de  
 Pignor. §. 5. AUGUST. à LEYSER in Medit. ad  
 Pand. Spec. 223. Med. 3.

### §. III.

Quamvis vero aliæ, quæ de hypotheca expressa constituta sunt, ad tacitam quoque hypothecam pertineant, cum legis publicæ si non major, certe eadem vis & auctoritas sit, quæ conventionis privatæ: in eo tamen magna est inter JCtos contentio, utrum hypothecæ legales, instar hypothecarum publicarum, hypothecis privatis etiam anterioribus sint præferendæ, an vero, moto concursu, inter hypothecarios privatos secundum prioritatem temporis locum suum sortiantur?  
 MERCURIALIS MERLINUS, JOACHIM.  
 MYNSINGERUS, GEORGIUS FRANTZIUS,  
 WOLFFGANG ADAM LAUTERBACH,  
 JO. BRUNNEMANNUS & FERD.  
 CHRISTOPH. HARPRECHTIUS falli eos stimant,

existimant, qui hypothecam, quam lex constituit, æque publicam & sic sine temporis discriminé præferendam privatæ hypothecæ censem, cum legis constitutio in tacito pignore constituendo non majoris sit roboris & auctoritatis, quam in consti-  
tuenda hypotheca privata cujuscunque de-  
bitoris privata voluntas, in primis cum jus  
prælationis hypothecis publicis præ hy-  
pothecis privatis concessum, privilegium  
sit, quod non extendendum, sed restringen-  
dum. (u) In alia omnia autem ivit NICOL.  
CHRISTOPH DE LYNCKER, CHRISTOPH.  
PHIL. RICHTER & AUGUST. DE LEYSER,  
qui hypothecas tacitas acque publicas cum  
his, quae publico instrumento consecræ sunt,  
pronunciant; contendentes, jus, quod lex  
ipsa & autor ejus Princeps tribuit, non minus  
publicum esse, quam id, quod magistratus  
inferior, minister legis & Principis concedit,  
& legem illam, in qua privilegium hypothe-  
carum publicarum fundatum est, eas non  
omnibus, sed iis saltem hypothecis, quas

B 3

quis

quis sibi ex privatis instrumentis vindicat,  
praeferre. (x)

- (u) MERCUR. MERLINUS de pignor. & hypoth. L. 4.  
tit. I. qu. 7. JOACH. MYNSINGER Cent. 1. Obsf. 59.  
GEORG. FRANTZKIUS ad tit. ff. qui pot. in pign.  
WOLFFG. ADAM LAUTERBACH in Coll. Theor.  
Pract. cit. tit. ff. §. 10. JO. BRUNNEMANN in Proc.  
concurſ. credit. §. 48. FERD. CHRISTOPH. HAR-  
PRECHT Vol. nov. Confil. 69. n. 89. seqq.
- (x) NICOL. CHRISTOPH. DE LYNCKER Cent. 7. Re-  
ſol. 626. CHRISTOPH. PHIL. RICHTER de privil.  
Credit. c. 4. Sect. 1. n. 11 & seqq. AUG. DE LEYSER  
Spec. 226. Med. 1.

#### §. IV.

Sicuti vero Constitutio illa Imperatoris  
LEONIS, quae pignus publicum privato, abs-  
que temporis discriminē, praefert, hanc solam  
rationem habet, quod publici instrumenti  
quoad annum & diem, quod tamen moto con-  
cursū in collocandis debitīs hypothecariis omne  
fert punctum, certior & minus suspecta, quam  
privati, sit fides: (y) ita neque priori neque  
posteriori intentiae simpliciter subscribendum,  
sed

sed distinguendum potius mihi esse videtur,  
 utrum hypotheca tacita accedit contractui &  
 negotio, quod publico instrumento, i. e. vel  
 apud acta vel coram Notario confecto, vel sub-  
 scriptione trium virorum probatae fidei corro-  
 borato, est munitum? an vero illud in privatam  
 saltem scripturam sit redactum? ita quidem, ut,  
 si hypotheca tacita oriatur ex privato contra-  
 ctu & instrumento, ea pro privata sit habenda,  
 & omnibus hypothecis publicis non solum, sed  
 etiam iis hypothecis privatis, quae tempore  
 priores sunt, postponenda; quippe cum tunc  
 pari ratione, ut circa hypothecas privatas ex-  
 pressas, dies facile praeferri & sic idem fucus  
 committi potest, ad quem avertendum hy-  
 potheca publico instrumento conlecta praec-  
 lationis jus accepit praे hypotheca privato  
 constituta contractu. Quod casu priori se-  
 cus, ubi hypotheca tacita aequalem certitu-  
 dinem cum hypotheca in publico instrumen-  
 to expresse constituta, quoad annum & diem,  
 habet, in quo tamen fundamento LEONINÆ  
 Consti-

at,  
 4.  
 59.  
 ign.  
 eor.  
 roc.  
 AR-  
 Re-  
 civil.  
 SER  
 oris  
 abs-  
 olam  
 enti  
 con-  
 mne  
 uam  
 eque  
 dum,  
 fed

Constitutionis ratio, privatis hypothecis publicas praferentis, quaerenda; ut adeo tunc hypotheca tacita aequa, ac quidem expressa in instrumento publico creditori constituta, praerogativam habeat, licet in illo nullius hypothecae mentio facta fuerit, cum sufficiat, quod ex ipso instrumento publico de termino hypothecae tacitae, quae huic negotio ex lege accedit, evidenter, certius & minus suspecte, quam si adesset instrumentum privatum, constet. Et fac etiam, privilegium esse, quod hypothecis publicis datum, in Constitutione tamen illa LEONINA non illis tantum hypothecis, quae in instrumento publico expresse sunt constitutae, sed etiam iis erectoribus illud est concessum, qui *instrumentis saltem publice confectis nituntur*, sub qua appellatione etiam hypothecae tacitae, quae ex negotio oriuntur, quod instrumentis publice confectis nititur, per interpretationem comprehensivam veniunt, quam interpretationem ipsa quoque privilegia admittunt. (z) Sic itaque tacita hypotheca, quae

quae competit locatori praedii urbani in i-  
vectis & illatis, (a) & qua praeterea gaudet  
locator praedii rustici in fructibus, qui ibi  
nascuntur, (b) non aequipollent hypothecae  
publicæ ratione prælationis præ hypotheca  
privata, nisi instrumentum publicum super  
contractu locationis conductionis fuerit con-  
fectum; naturam contra hypothecæ saltem  
privatae habet, si scriptura privata huic ne-  
gotio accesserit. Sic hypotheca, quam leges  
liberis in bonis paternis ratione maternorum  
tribuunt, (c) naturam privati pignoris non  
egreditur, quoad, quæ pater debet, non ex  
publico instrumento illis debentur. Et quæ  
sunt alia hypothecæ tacita exempla. Impe-  
rator enim LEO illum saltem creditorem hy-  
pothecarium, licet posterior sit, præferri  
voluit, qui NB. *INSTRUMENTIS* pu-  
plice confessis nititur. Quæ sanctio igitur,  
veluti privilegium hypothecis publicis datum,  
ad illas hypothecas tacitas, quarum debitum  
principale nulla plane scriptura nititur, ejus  
quamvis neque veritas neque initium in du-  
biuum

C

bium vocetur, sed eadem adsit, quæ in hypotheca instrumentis publicis constituta, prælationis ratio, tamen non est extendenda.

- (y) l. 11. C. qui potior. in pign.
- (z) JUST. HENNING. BOEHMER de prærogat. hypoth. public. c. 1. §. 15.
- (a) l. 4. pr. & l. 6. ff. in quib. cauf. pign. vel hypoth. tac. contr.
- (b) l. 7. ff. cit. tit.
- (c) l. 6. §. 4. C. de bon. quæ liber. l. 8. §. 3 & 4. C. de se-  
cund. nupt.

### §. V.

Dantur vero in Germania provinciæ, ubi, ut securitati creditorum, qui judiciales hypothecas impetrarunt, prospiciatur, provisum est, illis hypothecis publicis, quæ coram competente bonorum debitoris judice constitutæ & libro publico, quem dicunt das Schuld- und Pfand-Protocoll sive etiam das Stadt-Buch, insertæ sunt, reliquas omnes hypothecas, licet priores, cedere debere. Cave igitur, existimes, etiam hisce in locis hypothecas

cas tacitas eandem vim habere, ita ut, si modo scriptura, quæ accessit negotio, cui hypotheca tacita inest, publica autoritate est consignata, eodem hæ modo, ac quidem hypothecæ judiciales Germanicae, omnibus reliquis hypothecis sint praeferendæ & inter protocollatas, moto concursu, secundum annum & diem collocandæ. Quamnam enim tunc securitatem creditoribus protocollatis praestare posset liber ille publicus? quae tamen est ratio finalis hujus providi instituti, secundum quam omnes actus regulari debent, ita ut, quae huic fini obstant, rejicere oporteat. (d) Nunquam sane creditor, mutuum debitori daturus, ex libris illis judicialibus certus reddi potest, utrum bona aliis jam obligata sint, nec ne? vel an & quatenus ipsi adhuc sufficient, etiamsi, ut judicialis ipsi constitueretur hypotheca, curaret? Quin potius accidere posset, quod hypothecis tacitis prioribus, de quibus autem ex libro pubblico non constat, tota debitoris massa vix sufficeret, in perniciem creditorum protocollatorum,

torum, qui, libro judiciali nixi, fidem publicam erant secuti. Caute itaque, ut disceptationibus obex ponatur, in constitutio-  
nibus tantum non omnibus, quibus hypothecæ judiciales juris Germanici sunt introdu-  
cta, praescriptum legimus, hypothecarum tacitarum nullam inter hypothecarios Proto-  
collatos rationem porro esse habendam, sed eas hisce esse postponendas. Statuta certe  
Hamburgensia sanciverunt, wann wegen Vorzugs der Gläubiger Streit vorfällt, so soll  
zuförderst, was in das Stadtbuch verzeich-  
net worden, (e) allen andern Verpfändun-  
gen, so nicht vor dem Rathе beschehen und  
eingeschrieben, vorgezogen werden, (f) item,  
jedoch dass die Verpfändungen, welche in  
den Stadtbuch verzeichnet, allewege den  
Vorgang haben. (ff) Cui consona sunt, quae  
Statutum illud, Land-Recht dictum, tradit,  
in Bemahninge van Schulden schoelen dej-  
nigen, so im Land-Boke verlaten und inge-  
schreven syn, allen andern Schulden vorge-  
tagen warden. (g) Quae locutiones, allen  
andern,

andern, allewege, tacitas hypothecas includit. Id quod adhuc clarius evincit artic. XII. tit. V. L. II. Statut. Hamburg, ubi, posteaquam in art. II. & seqq. reliquos privilegiatos creditores relatos deprehendimus, adjicitur, *nach diesen*, (i. e. post protocollos & privilegiatos creditores,) sollen alle andere Gläubigere, deren Schulde im Stadt-Buch nicht vergewisset, und doch entweder ausdrücklich bedingte, oder *stillschweigende* Verpfändungen haben, bezahlet werden. (h) Et quamvis ego quidem in ea sim haeresi, etiam iis in locis, ubi hypothecae judiciales juris Germanici vigent, hypothecas, tam publicas juris Romani expressas, quam tacitas, quae instrumento publico nituntur, hypothecis privatis etiam prioribus esse anteponendas, nisi vel Statuta aliud velint, vel hypothecae publicae juris Romani, uti in Ducatu Slesvicensi & Holsatico, plane exulent, cum ratio praeferentiae harum hypothecarum ibidem adhuc hodie locum habeat, atque jura Romana in subsidium, deficiente lege Ger-

mānica, in contrarium sint recepta; Statutum tamen Hamburgense iis hoc denegat, dum disponit, daß alle andere Gläubiger, deren Schulden im Stadt-Buch nicht vergewisest, noch sonst besonders darin privilegiirt, und doch entweder bedingte oder stillschweigende Verpfändungen haben, nach eines jeden dato, (ergo absque ulla praelatione secundum annum & diem, & sine distinctione, utrum sint hypothecae publicae Juris Romani vel expresse vel tacite tales, an privatae & extrajudiciales?) bezahlet werden sollen. (1)

(d) I. 3. ff. de reb. cred. I. 8. pr. ff. mand. I. 33. ff. de contr. emt. vend.

(e) quem modum constituendi hypothecam publicam in patria mea pluribus tradiderunt JO. OTTO in disp. de jur. hypoth. publ. §. 25. etseqq. & MATTHÆUS SCHLÜTER vom Verlassungs-Rechte c. 2. n. 9. seqq.

(f) Der Stadt Hamburg Gerichts-Ordnung und Statuten p. 2. tit. 5. §. 1.

(ff) Statut. Hamb. cit. L. 2. tit. 5. §. 7.

(g) Land- Rechr art. 39.

(h) Stat. Hamb. l. c. §. 12. pr.

(i) Statut. Hamb. l. cit. §. 12.

## §. VI.

## §. VI.

Ipsas vero quod nunc attinet species hypothecarum tacitarum secundum jus Hamburgense, singularis plane est ejus dispositio, dass, wenn einer, der mit Immobilibus angesessen ist, dieserwegen im Bestellung anderweitiger Caution befreyet wird, derjenige, dem die Caution geleistet werden sollen, fals er nicht schon vorher eine Pfand-Verschreibung hat, eine stillschweigende hypothec, von dem Tage an, da er sich im Gericht, oder außerhalb desselben extrajudicialiter darauf beruffen hat, an dem Ueberschuss des Erbes haben solle. (k) Quamvis enim non desint, qui, ipso jure communi, ei, cui judicialiter satis dandum, in bonis immobilium possessoris, a cautione liberi, competere hypothecam tacitam existimant, (l) alii tamen, istam legalis hypothecae speciem in jure communi neutquam esse fundatam, rectius ea propter contendunt, quia tacita hypotheca legem requirit, qua cautum, ut absque conventione

ventione prævia creditori in bonis debitoris  
competere debeat pignus, de qua lege quoad  
hunc casum, scilicet si is, a quo satisdatio  
exigitur, sit rerum immobilium possessio &  
hinc a cautione liber, ex jure communi plane  
non constat, (m) alia licet etiam leges pro-  
vinciales adsint, quæ idem statuunt, quem-  
admodum in CODICE FRIDERICIANO  
MARCHICO sancitum est: Wann derjenige,  
von welchen Cautio gefodert wird, unter  
unser Cammer-Gerichts Jurisdiction mit un-  
beweglichen Gütern angesessen ist, so kan  
keine besondere Caution von ihm gefodert  
werden, wann auch schon einige nicht gar  
übermäßige Schulden darauff hafften. Er  
muss aber gleichwohl seinem foro, daferne er  
deshalb einiges privilegium und sonst anders-  
wo als vor unsfern Cammer-Gericht primam  
instantiam hätte, zu renunciiren schuldig  
seyn, auf welchen Fall derjenige, welcher  
die Caution gefodert hat, in des Gegentheils  
Güter jus tacitæ hypothecæ a tempore der  
erkanten Cautions-Leistung überkomt. (n)

Ut

Ut adeo, extra casum Statutariae dispositio-  
nis, ille, cui judicialiter fatisfandum, sibi  
de hypotheca expressa prospicere debeat, ad  
quam præstandam alii rerum immobilium pos-  
sessorum, a quo cautio exigitur, cogi non  
posse, putant; (o) quod alii concedunt quoad  
cautionem de judicio fisti, &, quæ postea in-  
troducedta est, pro reconventione & expensis,  
quoad reliquas autem cautiones negant, id  
quod etiam Praxis sequitur; (p) cum alii ite-  
rum fini fatisficationis, quæ in securitate alteri  
præstanta consistit, convenire omnino, ut,  
cum utraque cautio securitatem requirat, in  
utroque casu etiam ad hypothecam bonorum,  
quæ facile alias possunt alienari, constituendam,  
immobilium possessor adstringatur, ad-  
firment. (q)

(k) Der Stadt Hamburg neue Falliten-Ordnung vom 31.  
Aug. 1753. art. 72.

(l) MATTH. BERLICHUS P. I. Concl. 20. n. 31. REINH.  
BACHOVIVS ad TREUTLERUM Disp. 5. th. 2. lit. c.  
GEORG. AD. STRUVE in Synt. Jur. Civ. Exerc. 5. th. 29.

(m) BENED. CARPOVIVS P. I. C. 5. def. 2. n. 6. FRANC.

D

FRIEDER.

FRIEDER. L. B. AB ANDLER in Jurispr. publ. & priv.

L. 2. tit. 10. §. 19.

(n) CODEX FRIDERIC. MARCH. P. 3. tit. 17. §. 8.

(o) JO. BALTHASAR. L. B. a WERNHER P. 8. Obs. 359.

(p) AUG. de LEYSEN Spec. 553. Med. 19.

(q) DAV. MEVIUS P. 8. Dec. 332. ANT. FABER in Rational. ad l. 15. ff. Qui satisd. cog. NICOL. MARTINI de caut. judic. th. 22,

### §. VII.

Quemadmodum interim nullus dubito,  
 quin hæc tacita nostra hypotheca, quae illi,  
 cui est satisdatio praefstanta, in bonis immo-  
 bilibus partis adversae competit, etiam res im-  
 mobiles juris intellectu tales, i. e. mobiles  
 quae ad perpetuum usum fundi alicujus, seu  
 rei immobilis sunt destinatae & applicatae,  
 tanquam partem & accessionem fundi, cui  
 tacita hypotheca inhaeret, (r) adficiat, ve-  
 luti lectos aliamque suppellectilem in diver-  
 foriis, necessitatibus hospitum inservientem,  
 vasa quoque & instrumenta in usum pharma-  
 copolii comparata, si certis aedibus jus phar-  
 macopolium exercendi concessum sit, & alia  
 ad

ad officinam aliquam, quae per privilegium  
aedibus annexa est, destinata & applicata in-  
strumenta, quippe cum accessoria sequantur  
suum principale, & hinc hypothecam tac-  
tam, quae inhaeret principali, accessoriis ejus  
etiam inhaerere censendum sit: ita altioris  
indaginis e contrario est quaestio, utrum quo-  
que de illis rebus immobilibus civiliter talibus,  
quae capropter, quod non facile occultari,  
nec amoveri possunt, a præstatione cautio-  
nis liberant, quo annuos reditus irredimibiles,  
qui ex certa re immobili præstantur: pecunias  
hereditarias ex re immobili solvendas, si dies  
nondum venit, & tabernam vel bibliothecam  
instructam referunt, (s) idem secundum jus  
Hamburgense sit dicendum, nec ne? Si in-  
spicias textum, in quo hæc tacita hypotheca  
continetur, negandum hoc esse videtur. Con-  
cedit faltem illad privilegium, wenn einer der  
mit Immobilibus *angesessen* ist --- an den  
Überschusß des *Erbes*, (t) cum tamen neque  
locutio, *angesessen*, ad enumeratas res im-  
mobiles civiliter tales, eaturumque possessores

D 2

qua-

quadret, neque sub appellatione, Erbe, aliæ  
res, quam quidem fundi, intelligi soleant. (u)  
Cui accedit, quod alius textus, ubi catalogus  
rerum immobilium habetur, illas ita definiat;  
und werden allhier unter den unbeweglichen  
Gütern die Häuser des Schuldners,  
seine liegende Gründe in- und ausserhalb der  
Stadt, Gehöste, Gütern, Schiffe und Schiffsparten  
verstanden, (x) sub quibus res immobiles  
civiliter tales non comprehenduntur.  
Sed salva res est. Ipsa Statuta Hamburgensia  
liberant litigantes a cautione non solum rerum  
immobilium naturaliter talium possessores,  
sed eos etiam, quibus saltem sunt Erb-Zin-  
sen, (y) quo nomine ipsi illi annui reditus  
veniunt, & sic etiam illos, qui res immobiles  
civiliter tales possident, a cautionis præsta-  
tione immunes pronunciant. Quam ob rem  
nihil magis naturale est, quam ut in posterio-  
ri Ordinatione, quam die Falliten-Ordnung  
dicunt, æque, ac in Statutis prioribus, sub  
appellatione immobilium res quoque civiliter  
immobiles intelligantur. Utroque certe loco  
de

de immunitate possessorum rerum immobilium a judicialibus cautionibus agitur, & posterior Ordinatio saltem hypothecam tacitam adjicit, ut illa ei, cui alias præstanda cautio, in bonis alterius competere debeat. Jam vero, legem posteriorem ex priori esse interpretandam, docuit PAULUS. (z) Ut adeo in Ordinatione illa, die Falliten-Ordnung dicta, voces, angeleßsen, & Erbe de possessoribus rerum immobilium tam naturaliter, quam civiliter talium eodem modo sint accipiendæ, quo secundum doctrinam juris communis in materia de cautionibus judicialibus verba, *immobilium possessores*, etiam rerum immobilium civiliter talium dominos sub se comprehendunt. Ad enumerationem autem rerum immobilium tandem quod attinet, ubi immobilium civiliter talium non facta est mentio, partim vox, *allbier*, indicat, quoad illam materiam tantum, de qua in isto articulo agitur, nimurum quoad facultatem Curatorum bonorum vendendi bona debitoris, eam usum habere; partim quoque res hæ immobi-

D 3

mobi-

mobiles civiliter tales nec ipsis rebus mobili-  
bus, ibidem recensitis, sunt annumeratae. Ad  
doctrinam itaque juris communis iterum est  
recurrentum & ex eadem supplendum, ad  
quamnam speciem rerum vel mobilium, vel  
immobilium sint referenda? eo magis, cum  
Statuta Hamburgensia juri Communi faveant.  
Constituunt ergo etiam res immobiles civiliter  
tales objectum hypothecæ tacitæ secundum  
jus Hamburgense in hac materia.

- (r) l. 17. §. 7. ff. de act. emt.
- (s) DAV. MEVIUS ad Jus Lubec. P. 3. tit. 5. art. 5. num. 9.  
seqq. BENED. CARPOZOVIS P. 1. C. 5. def. 19. SIM.  
PETR. GASSERI Posit. Praet. Pos. II.
- (t) Der Stadt Hamburg Falliten - Ordnung de anno  
1753. art. 72.
- (u) MART. SCHLÜTER VON unbeweglichen Gütern P.  
1. tit. 1. §. 4.
- (x) Die Falliten - Ordnung art. 19. n. 2.
- (y) Der Stadt Hamburg Statuta P. 1. tit. 25. §. 7.
- (z) l. 28. ff. de LL.

### §. VIII.

Cum in paragrapho præcedenti de cura-  
toribus bonorum sermo fuerit, statim adduxisse  
juvabit, in eorum bonis secundum jus Ham-  
burgense

burgense creditoribus tacitam competere hypothecam a tempore insecuri decreti confirmationis, non tamen in solidum, si plures sunt constituti, sed saltem in cuiuslibet bonis intuitu damni ab ipso dati. Disponit enim, Solte sich es bey Ablegung der Rechnung finden, dass ein und anderer Curator bey der Verwaltung zum Nachtheil der Massæ etwas versehen, oder wohl gar vorsetzlich begangen hätte, so soll der eine für den andern nicht gehalten seyn, sondern jeder allein für seine getreue administration, auch richtige Rechnung, so viel es einen jeden Curatorem absonderlich betrifft, vermöge dieses Gesetzes und dadurch introducirter stillschweigenden Verpfändung von der Zeit an, da er von uns zum Curatore bestätigt, den sämtlichen Creditoribus obligirt und verbunden seyn.(a) Quod plane singulare. Jure communi enim eorum bona hypothecae tacitae non subsunt frustra refragante SAM. STRYCKIO.(aa) *Si bonis curator datus sit, non oportebit privilegium dari: non enim est in eadem causa,*(b) scilicet

scilicet cum pupillis, surdis, mutis & fatuis, (c)  
 inquit ULPIANUS. Et quamvis ex præscripto juris communis curatorem bonorum  
 dolum saltem &, quæ dolo æquiparatur, si  
 agitur ad damnum datum restituendum, cul-  
 pam latam præstare oporteat, (d) jure tamen  
 Hamburgensi, hypothecam tacitam locum  
 quoque habere, si modo levi culpa damnum  
 dederit, ego quidem judico, cum hoc nostro  
 jure mercedem consequatur, (e) & hinc mu-  
 tuæ præstationes adsint, quo casu levis culpa  
 præstanta est. (f) Quod jure Romano se-  
 cus, ubi gratis officio suo fungitur, (g) quod  
 latam saltem culpam operatur. (h)

- (a) Die Falliten-Ordnung de anno 1753. art. 98.
- (aa) SAM. STRYCK ad LAUTERB. tit. de curat. bon.  
dand. *ad verb.* in bonis
- (b) l. 22. §. 1. ff. de reb. aut. jud. possid.
- (c) l. 19. 20. 21. ff. cit. tit.
- (d) l. 9. §. 5. ff. cit. tit.
- (e) Die Falliten-Ordnung art. 99 & 100.
- (f) l. 5. §. 2. ff. commod. l. 23. ff. de R. J.
- (g) JO. BRUNNEM. ad l. 9. §. 5. ff. de reb. aut. jud. possid.  
num. 6. & in Proc. Conc. Credit. c. 1. §. 10.
- (h) l. cit. 5. §. 2. ff. commod. l. 61. §. 6. ff. de furt.

## §. IX.

## §. IX.

Dedit quidem jam Imperator JUSTI-  
NIANUS legatariis, &c, qui iisdem exaequati  
sunt, fideicommissariis particularibus & do-  
natariis mortis causa, hypothecam tacitam  
in bonis testatoris, (i) ex hac consultissima  
ratione, quia facile fieri potest, legatarium  
ignorare testatoris dispositionem & interea  
maximam bonorum hereditariorum partem  
dissipare heredem, cetera aliis creditoribus  
oppignerare, & nunc forsitan, testamentum  
adsuisse, legatarium comperire. Sed heres,  
bonis destitutus, legatum praefastare non potest.  
Nunc denique tacita hypotheca egregiam  
praefastat utilitatem, cum contra quemicunque,  
etiam tertium rerum hereditiarum possesso-  
rem, ad consequendum legatum agere queat,  
& hinc illa impedimento fit, quo minus lega-  
tum suum per fraudem heredis amittat. Hoc  
vero iterum jure Hamburgensi singulare est;  
primo, quod haec hypotheca tacita saltem  
duret per duos annos, a tempore scientiae,

E &

&, si tunc heres nondum adierit hereditatem, a tempore aditae hereditatis computandos, (k) cum alias ex juris Romani doctrina jus hypothecae tacitae, quod legatariis competit, non nisi X. annis inter praesentes, XX. inter absentes excludatur: (l) deinde, quod tacita haec hypotheca statim & etiam ante lapsum duorum illorum annorum expiret, si legatarius instrumentum obligationis accepit. Verba sunt, nach Verlauff solcher 2 Jahre höret diese hypothec auff; welches auch geschicht, wenn der Legatarius sein legatum in eine Obligations-Foderung verwandeln lässt. (m) Id quod quidem juri communi est consentaneum, quando verba instrumenti obligationis ita se habent, ut veritas tenoris instrumenti obligationis non aliter locum habere queat, nisi fingatur, debitorem herdem legatum praestitisse, & legatarium heredi dein illud reddidisse, accepto chirographe hujus forsitan tenoris: Ich Endes unterschriebener uhrkunde und bekenne hiemit für mich und meine Erben, wasmassen mir Sem-

Sempronius, (qui est legarius) heute dato  
angelichen und vorgestrecket &c.; tunc ta-  
men ab eo recedit, si hac formula usus est  
haeres, Ich Endes unterschriebener uhrkun-  
de und bekenne hiemit, wasmassen ich Sem-  
pronio (qui est legarius) die Sunime von --  
bin schuldig geworden; quae formula, cum  
novationem prioris obligationis extinctivam  
non praecise requirat, sed simul cum duratio-  
ne legati, tanquam legati, sublistere possit,  
neque tacitam hypothecam, legatariis in bo-  
nis hereditariis competentem, tollit. Sanci-  
vit enim JUSTINIANUS: *Si quis vel aliam*  
*personam adhibuerit, vel mutaverit, vel*  
*pignus acceperit, vel quantitatem augendam*  
*vel minuendam esse crediderit, vel conditio-*  
*nem seu tempus addiderit, vel detraxerit,*  
*vel cautionem minorum acceperit: Nihil pe-*  
*nitus prioris cautelæ innovari, sed anteroria*  
*stare, & posteriora incrementum illis acce-*  
*dere, nisi ipsi specialiter remiserint priorem*  
*obligationem.* (n) Sub qua igitur distinctione  
annon etiam Constitutio Hamburgensis sit

accienda, quilibet facile judicare potest. De eo interim minus est dubitandum, quin etiam secundum Jus Hamburgense tacita hæc legatariorum hypotheca sit diuidua, neque illas res hereditarias, quæ aliis sunt legatæ, afficiat, quæ ipsa singularia jam Romano jure huic tacitæ hypothecæ sunt tributa, (o) & hinc, tacente Statuto, trahi huc debent, cum, ipsam illam hypothecam legalem legatariorum ex jure Romano esse receptam, extra omnem dubitationis aleam sit positum, & hinc etiam ex illo explicari & suppleri debeat.

- (i) l. i. C. Comm. de legat.
- (k) die Falliten-Ordnung art. 68. num. 2.
- (l) l. i. & 2. C. si advers. credit.
- (m) die Falliten-Ordnung l. cit. num. 3.
- (n) l. ult. C. de novat. Add. PRÆSID. diff. de Interesse Synon. in for. §. 9.
- (o) l. i. in f. C. Commun. de legat. l. ii. pr. ff. ut in possess. legat.

## §. X.

Eadem fere obtinent circa præscriptionem hypothecæ tacitæ, quæ iis, qui ad ædificationem

tionem vel reparationem ædium vel aliarum rerum crediderunt, in re ædificata vel refectione competit. Jure Romano quidem illud jus taciti pignoris tantum conceditur illis, qui in refectionem aedium crediderunt. (oo) Quod neque ad aliarum rerum refectionem, (p) neque ad creditum aedificandæ domus gratia mutuo datum trahi potest. (q) Jura Hamburgensia autem illud iis etiam creditoribus tribuunt, qui ad aliarum rerum vel aedificationem vel refectionem crediderunt. Initio STATUTUM HAMBURGENSE praecepit, dass, wenn jemand zu Erbauung oder zu Befserung und Unterhaltung eines Hauses, Schiffes, und anderer Güter, Geld oder anders darleihet, ihm solch Haus, Schiff oder Güter dafür stillschweigend verpfändet seyn sollen. (r) Postea specialis illa Ordinatio, de anno 1753. die Falliten-Ordnung dicta, ulteriorius hoc extendit, disponens: Handwercker, ingleichen diejenigen, welche zur Erbauung oder nöthigen Reparation eines Hauses oder Schiffes, oder wenn das Haus zu einer Fa-

E 3

brique

brique angeleget ist, in den dazu gehörigen Nied und Nagelfesten *Geräthschafften und Machinen*, wenn der Eigenthümer des Hauses solche versetzen lassen, Materialien hergegeben, daran gearbeitet, oder das Geld dazu geliehen haben, ingleichen, wenn jemand einen Brauer, Zuckerbecker, oder einem andern Fabriqueur, zu seinen zur Fabrique gehörigen Machinen, als Kesseln, Pfannen, Mangeln und dergleichen, vorstekender massen Vorschub gethan; haben ein jus praelationis an den Ueberschuss des Hauses und gedachten Geräthschafften und Machinen, wenn nemlich, im Fall die Machinen zum Hause gehören, die Creditores hypothecarii publici des Erbes vorhero zum vollen befriediget sind. (s) Desunt quidem in hac posteriori Constitutione verba, quae de hypotheca tacita testantur. Verum explicat saltem illa antiquius illud Statutum Hamburgense, in quo expresse illis, qui ad aedificandas vel reparandas aedes, naves & alias res crediderunt, tacita hypotheca tribuitur; & quod caput rei

rei est, idem ille articulus, ubi in sequenti-  
bus de praescriptione hujus juris agit, voca-  
bulo *hypothecae* utitur, quo jus illud praescri-  
bendum designat, his verbis, *und mird die  
Praescription der Hypothec gekennet.* (t)  
Singulare enim & hic iterum est, quod haec  
tacitae hypothecae species lapsu duorum anno-  
rum, qui a tempore existentis crediti currunt,  
exspiret, quae alias demum praescriptione X.  
annorum inter praesentes & XX. inter absentes  
extinguitur. (§. IX.) Hunc solum casum exci-  
pit, wenn der Handwercker oder Anleicher vor  
Ablauff der zwey Jahre den Schuldner vor  
einen der Herren Burgermeister oder Gerichts-  
Verwalter citiren lassen, als auff welchen Fall  
die zwey Jahre a die citationis angerechnet  
werden sollen. (u)

(oo) l. i. ff. in quib. cauf. pign. vel hypoth. tacit. contr. l. 24.  
§. i. ff. de reb. autor. jud. possid.

(p) REINH. BACHOV. ad TREUTL. Vol. 2. disp. 24. §. 7.E.

(q) J. BRUNNEM. ad l. cit. l. in quib. cauf. JO. HENR. BER-  
GERI El. disc. for. p. 1468. n. 2. a quibus frustra dissentit  
JO. JULIUS SURLAND ad l. i. ff. in quib. cauf. pign.  
vel hypoth. tacit. contrah. cum Novella 97. c. 3. ad  
quam

quam provocat, non de *hypotheca tacita* sed de *privilegio prælationis* loquatur, quod leges Pandectarum & Codi-  
cis creditoribus quibusdam dederunt, qui de hypotheca expressa sibi prospexerunt; uti vocabulum, *novimus* indicat, quod relationem habet ad leges priores.

(r) HAMB. STADT-REGHT P. 2. tit. 4 Art. 14.

(s) vid. HAMBURGISCHE NEUE FALLITEN - ORDN.  
de anno 1753. art. 70. num. 1.

(t) vid. DIE FALLITEN-ORDNUNG loc. cit. n. 2.

(u) DIE FALLITEN-ORDNUNG loc. cit. num. 1. in f. &  
num. 2. 3.

## §. XI.

Neque tamen ea, quae iis, qui ad instru-  
menta opificaria, aut artificialia, vel compa-  
randa, vel reficienda, crediderunt, compe-  
tit *hypotheca tacita*, ad illa instrumenta opifi-  
caria, quae ad perpetuum aedium usum  
sunt destinata & applicata, est restringenda.  
Quin etiam ad reliqua artificum & opificum,  
qui ibi recensentur, pertineat instrumenta.  
Duo scilicet sunt casus, quos hic articulus de-  
finit. Primo si dominus aedium eas ad usum  
officinae alicuius destinaverit, ubi, si instru-  
menta, quae in usum ejus comparavit, sive  
sint

sint fixa vincta, sive non, illis, qui in comparationem vel refectionem eorum crediderunt, in iis competit tacita hypotheca cum jure praelationis, quod volunt verba, oder wenn das Hauss zu einer Fabrique angeleget und zu den dazu gehörigen Nied- und Nagel-Festen Geräthschaften und Maschinen einer Materialien bergegeben, daran gearbeitet, oder das Geld dazu geliehen; ingleichen, wenn jemand einem Brauer, Zuckerbecker, oder einem andern Fabriqueur zu seinem zur Fabrique gehörigen Maschinen, als Kesseln, Pfannen, Mangeln, obsteckender massen Vorschuß gethan, haben selbige ein jus praelationis an den Ueberschuss des Hauses und gedackten Geräthschaften. Alter casus, quem etiam includunt verba modo allata, ingleichen, wenn jemand &c. hic est, si quis solus officinæ exercendæ causa, absque respectu ad certas ædes, ejusmodi instrumenta comparaverit, ubi eadem quidem obtinent, sed hac differentia, quod priori casu, quia instrumenta hæc tunc partem domus constituunt, postponantur

F

tur

tur creditoribus hypothecariis protocolatis: posteriori autem, quia tunc protocolatio, quoad domum facta, ad ejusmodi instrumenta non trahenda est, simpliciter jure praelationis gaudeant. Quod probant verba, *haben ein jus praelationis an den Ueberschuss des Hauses und gedachten Geräthschaften und Machinen, wenn nemlich, im Fall die Machinen zum Hause gehören, die creditores hypothecarii publici des Erbes vorhero zum vollen befriediget sind.* Quid enim alias sibi vult vocabulum, *ingleichen*, cum in praecedentibus de iis instrumentis, quae officinæ, ad perpetuum usum domus alicujus destinatæ, exercendæ causa comparata sunt, jam dictum fuerat? Et quid opus erat adjicere, tunc saltem hypothecarios publicos iis creditoribus præferendos esse, qui in comparationem horum instrumentorum crediderunt, si instrumenta hæc partem domus constituerent, si mens legislatorum fuisset, quod instrumenta officinalia, quae partem domus non constituunt, hypotheca hæc cum jure praelationis conjuncta, quae competit creditoribus, qui in comparationem vel refectionem eorum crediderunt, plane non afficeret. Sufficere tunc poterant verba, *wenn die Creditores hypothecarii*

*carii publici des Erbes vorhero zum vollen  
befriediget; his omissis, im Fall die Ma-  
chinen zum Hause gehören. Quippe cum  
omnis interpretatio ita sit facienda, ne legis-  
lator superfluum quid dixisse videatur. (x) Ut  
tamen privilegium hoc, tanquam jus singu-  
lare, quod non ad consequentias est trahen-  
dum, (y) ad aliorum artificum & Opificum  
instrumenta, quam, quorum in illo articulo  
mentio est facta, non esse extendendum, res  
ipsa loquatur.*

(x) CHRISTIAN. L. B. de WOLFF in Jur. Nat. P. 6. §. 485.  
& 486. CASP. HINR. HORN de interpr. jurid. c. 2. §. 16.

(y) 1. 14. 15. & 16. ff. de LL.

### §. XII.

Inter alias hypothecas tacitas eminet,  
quae pupillis in bonis tutorum, (z) & liberis  
in bonis parentum binuborum (a) competit.  
Jura Hamburgensia idem iisdem conce-  
dunt; (b) hoc vero, quod iterum singulare  
est, in securitatem reliquorum creditorum ad-  
dunt, quod exspiret, si pupilli & liberi intra  
annum post datam apocham & adeptam ma-  
jorennitatem nomina sua a tutoribus & paren-  
tibus non exegerint, & locum tunc saltem in-  
ter chirographarios intuitu horum nominum  
fortiantur. (b) Quod jure communi secus,  
ubi jus hypothecae non, nisi per lapsum X.

F 2

&

& XX. annorum, per praescriptionem extinguitur. (§. IX. & X.)

(z) l. 20. C. de admin. tutor. l. un. §. 1. C. de rei uxori. act. & Nov. 118. c. 5. in f.

(a) 1.6. C. de secund. nupt.

(b) vid. STATUT. HAMB. P. 2. tit. 4. art. 15. item die FALLITEN-ORDNUNG de anno 1753. §. 59. num. 1

(bb) vid. DIE FALLITEN-ORDNUNG loc. cit. n. 2.

### §. XIII.

Eleganter quidem PAPINIANUS, dotium causa, inquit, semper & ubique præcipua est; nam & publice interest, dotes mulieribus conservari, cum dotatas esse foeminas ad sobolem procreandam replendantque liberis civitatem maxime sit necessarium; (c) quod JUSTINIANUM movit, ut uxoribus ratione dotis, (d) & paraphernalium (e) tacitam hypothecam in bonis mariti concesserit, alii quamvis eam a THEODORA, Augustissima illa ipsius Conjuge potius excogitatam esse putent; juri tamen Hamburgenſi, favorem commerciorum, rationibus juris Romani, ut plurimum hodie praeterea cessantibus, præferenti placuit, non solum uxoribus hypothecam tacitam ratione dotis & illatorum in bonis mariti denegare, sed etiam statuere, ut bona uxoris pro debitis mariti, stante matrimonio contractis, obligata sint creditoribus, adeo-

adeoque hisce mariti creditoribus hypothecam tacitam in bonis uxoris tribuere. (f) In Recessu Windischgrätzensi ante omnia clarissime habetur, nachdem in Art. 10. Tit. 5. P. 2. Hamb. Stadt-Rechtens ausdrücklich versehen, dass der Frauen Güter für des Mannes Schulden, in stehender Ehe gemacht, denen Gläubigern gehalten seyn sollen, ist solcher Articul dahin elucidirt und erkläret, dass, wie hiebevor, also auch ins künftige von allen der Frauen Gütern, sie seyn in die Ehe beweislich eingebracht oder nicht, ohne Unterscheid, Vorbeding und reservat für des Mannes Schulden, so in stehender Ehe gemacht, absolute hafften und den Creditoribus verpfändet seyn sollen. (g) Quod secundum novam Constitutionem de decoctoribus, der Falliten-Ordnung, in illas saltem cadit uxores, quarum mariti post quinquennium a tempore initi matrimonii solvendo esse desierunt, quod ut vel verbis vel factis maritus declareret, opus est, (h) nulla, quod leges priores alias voluerunt, tunc habita ratione debitorum ante matrimonium vel durante illo contractorum, ita ut & debita, ante matrimonium contracta, bona uxoris adficiant; cum e contrario, si ante lapsum hujus quinquennii in

F 3

sensu

sensu Juris Hamburgensis solvendo esse desierit, tempore initi matrimonii autem maritus jam obaeratus fuerit, uxori, facultas illata sua vindicandi & revocandi, salva maneat; quod tamen privilegium iterum etiam intra hoc quinquennium cessat, si tempore initi matrimonii maritus nondum obaeratus fuerit. (i)

- (c) I. r. ff. solut. matrim.
- (d) l. un. C. de rei uxor. act.
- (e) l. ult. C. de paet. convent.
- (f) HAMBURG. STADT-RECHT P. 2. tit. 5. art. 10. & tit. 5. art. 13.
- (g) WINDISCH-GRÄTZISCH. RECESS vom 31. Mart. 1674 art. 67
- (h) DIE FALLITEN-ORDNUNG art. 1.
- (i) DIE FALLITEN-ORDNUNG art. 30.

#### §. XIV.

Ratio hujus tacitae, creditoribus mariti in bonis uxorius, competentis hypothecae in propatulo est. Communio bonorum, quae jure Hamburgensi inter Conjuges viget, sive matrimonium sit improle, sive non, (k) vi cuius bona uxorius pro bonis mariti & sic bona uxorius & mariti pro una eademque massa sunt habenda, (l) eandem produxit, ut bona uxorius non possint non creditoribus mariti esse obligata. Unde, si per paeta dotalia haec communio bonorum inter Conjuges sublata est, ipsam illam tacitam hypothecam creditoribus mariti in bonis uxorius competentem etiam cessare

cessare & sublatam esse, facile patet. Alia quamvis sit quaestio, an pactis dotalibus communio bonorum, Statutis introducta, tolli vel restringi possit? quod ego omnino puto, si modo hoc publici juris factum fuerit, ne alias creditores mariti, communioni bonorum, statutis introductae, fidem habentes defraudentur; Recessus Windisch græcen-fis licet contrarium dispositisse videatur, præci-piens, daß der Frauen Güter *ohne Vorbeding und reservat für des Mannes Schulden absolute hassen sollen.* Sed otium hic mihi fecit V. C. HENR. BÜHRING, qui nec jure Hamburgensi ejusmodi paetiones nullas esse putat. (m)

(k) JUST. HENNING BOEHMER de æris alien. inter con-jug. Hamburg. commun. §. 31.

(l) V. C. FRANCISC. GOEDER KROHN de bonorum Con-jug. inter Hamburg. commun. §. 14. seqq.

(m) HENN. BÜHRING de Valore paet. dotal., quibus com-mun. bonor. statut. introd. toll. aut restring. §. 12. et seqq.

### §. XV.

Plures quidem referunt Statuta Hambur-genia hypothecæ tacitæ species, veluti quæ locatori prædii urbani in invectis & illatis: (n) locatori prædii rustici in fructibus, (o) & piis corporibus atque aliis universitatibus in bonis administratorum competit; (p) sed, quia ea-rum qualitates plane convenient cum juris  
Commu-

Communis dispositione, abstineo, hoc saltem adhuc moniturus, reliquas etiam hypothecæ tacitæ, in jure Romano fundatas, species in civitate Hamburgensi obtainere, earum quamvis in Statutis Hamburgensibus nulla sit facta mentio, quo pertinet ea, qua pupillus in rebus ipsius pecunia a tertio emtis: (q) liberi in bonis vitrici, cui mater tutrix nupsit, nec rationibus redditis, nec alio tute petito: (r) maritus in bonis ejus, qui dotem ipsi promisit, (s) & fiscus in bonis administratorum aliorumque debitorum (t) gaudent; quippe cum jus Romanum in subsidium, deficientibus Statutis & legibus domesticis, sit receptum, (u) quæ Hamburgi de hisce hypothecis tacitis silent. Tu vero L. B. ignoscas, si ego, Theoriæ hactenus deditus, ea, quæ Praxis nonnunquam in contrarium forsitan statuit, non curaverim.

(n) HAMBURG. STADT-RECHT P. 2. tit. 4. art. 12.

(o) IDEM STATUTUM loc. cit. art. 13.

(p) DIE FALLITEN-ORDNUNG art. 69.

(q) l. 7. pr. ff. qui potior. in pign.

(r) l. 6. C. de secund. nupt. (s) l. un. §. 1. C. de R. U. A.

(t) l. 1. C. de privil. fisc. & l. 1. & 2. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrah.

(u) REICHS HOFF-RATHS-ORDNUNG tit. I. §. 15.




D

**ULB Halle**  
001 601 61X

3



TA->OL



B.I.G.

Farbkarte #13



DICA INAUGURALIS

E

PO THECAE

ITAE

TA HAMBURGENSIA,

AM

NIS DIVINI GRATIA,

CRETO

NSULTORUM ORDINIS

N

TIAN - ALBERTINA,

S I D E

STIANO DORN, D.

O-CANCELLARIO,

UGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI

FORIS TOTIUS RUSSIÆ IN CAN-

HOLSATICA CONSILIARIO STATUS,

PROFESSORE ORDINARIO ATQVE

JUDICÆ PRIMARIO,

SUMMIS

ONORIBUS AC JURIBUS

RALIBUS

TINENDIS

ONI PUBLICÆ

ANNO MDCCXLII.

RONIT

US DÜHMCKE,

BURGENSIS CANONICUS.

R. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.